



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. Quid sit anima Vegetativa, & quæ ejus potentiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

sequefter facere debet Deum viventem per suam durationem, ubi, &c. imò & Angelum supremi ordinis per proprias passiones suas; quia à nullo extrinseco principio creato naturaliter eas accipere potest, quæ sunt ridicula; Ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

xxxvi. **D**ico 4^o, contra PP. Arriagam, & Ponticum, datur conceptus communis univocus omnibus actibus vitalibus, tam Dei, quam creaturarum.

xxxvii. Probatur: quia hic conceptus *Actus alibili* conveniens & in eo consequens *introsumptionem alimenti*, aut in *spiritibus nobiliorem operandi modum*, est conceptus communis univocus omnibus actibus vitalibus, &c. Ergo, &c. Probatur antecedens; per ly *alibili* conveniens & in eo consequens *introsumptionem alimenti* comprehenduntur Cælorum loco-motiones (nam loco-motio alibili convenit & in eo sequitur introsumptionem alimenti, in spiritibus verò nobiliorem operandi modum) vegetationes, sensationes, intellectiones, volitiones, productiones lactis, sanguinis, &c. quamdiu anima est in corpore: per ly verò aut *nobiliorem operandi modum*, omnes volitiones & intellectiones Dei, Angelorum & animarum separatarum, quæ sunt secundum modum vitaliter operandi, independentes ab introsumptione alimenti: clarum enim est intellectiones & volitiones Dei, angelorum & animarum separatarum consequi modum operandi vitaliter nobiliorem illo, quem sequuntur intellectiones & volitiones animarum existentium in corpore; ille autem aliud esse non potest, quam modus operandi independentem ab introsumptione alimenti: per utramque verò particulam excluditur motus lapidis in centrum ex jactu, productio augmenti caloris ignis ex anthropistasi, &c. Ergo, &c. Ex his

xxxviii. Collige P. Arriagam non nisi improbabiler valde contra communem omnium Philosophorum, tum antiquorum, tum recentiorum sensum, vitam duplicem assignare; unam Physicam, quam constituit in augmento intrinseco per introsumptionem; aliam intentionalem, quam constituit in cognoscendo & appetendo, quasi verò cognoscere & appetere non sit vivere Physicè abstrahendo à definitione vitæ Physicæ, quam tradit; vel dicat cur vitam Physicam ita definiat, & contra omnes, non assignet definitionem vitæ Physicæ communem omnibus actibus vitalibus: sed æquivocam duntaxat vitalibus Physicis & intentionalibus: Dicere enim quòd Deus Physicè non vivat, est dicere, quòd Deus realiter non vivat, juxta communem sensum, quod nullus dixerit.

xxxix. Dicit fortè vita Physica & intentionalis diversissimæ sunt: Sed Deus vivit ita intentionali, & non vitæ Physicæ: Ergo vita, quæ Deus & creaturæ vivunt, non est nisi æquivocè vita.

xl. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum: substantia creata & increata diversissimæ sunt; sed Deus est substantia increata, & non creata; Ergo substantia, quæ Deus & creaturæ sunt substantiæ, non est nisi æquivocè substantia, negabit consequentiam, aut distinguet consequens, hoc modo; Ergo substantia, &c. quatenus substantia creata & increata non est nisi æquivocè substantia, concedet; quatenus substantia in genere, negabit consequentiam; & meritò, ut vidimus in Logica Tract. 4. de Ante-prædicamentis Disp. 2. Dub. 3. ubi ostendimus Deum habere verum genus & veram differentiam; eodè modo consequenter distinguat pro vita.

xli. Respondeo 2^o, negando consequentiam; quia non est ratio, cur potius vita in communi sit vita æquivoca respectu Dei & creaturarum, quam substantia.

DISPUTATIO QVARTA

De Anima Vegetativa.

DVBIVM I.

Quid sit Anima Vegetativa, & qua ejus potentia?

RESOLUTIO.

i. **D**ico Anima Vegetativa est principium vegetationum, ut nutritionis, augmentationis, & generationis; & hinc sunt tres potentie animæ vegetativæ, nutritivæ scilicet, augmentativæ, & generativæ: Nutritivæ quatuor aliæ facultates famulantur, scilicet, attractivæ alimenti, retentivæ ad concoctionem, concoctivæ, & expulsi-va noxii. Hæc inter omnes certa sunt.

DVBIVM II.

An plantæ, herbæ & eorum semina vivant animâ vegetativâ; & si hæc, an etiam sensitivâ?

RESOLUTIO I.

ii. **D**ico 1^o, plantæ & herbæ, verè ac propriè vivunt animâ vegetativâ; est communis

R. P. Francisci Bonæ Spei Physica

post D. Thomam, Dionysium, & Aristotalem lib. 2. cap. 1.

iii. Probatur ex definitione actus vitalis supra; habent enim plantæ & herbæ ex introsumptione alimenti actus nutritionis, augmentationis, & generationis, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

iv. **D**ico 2^o, plantæ & herbæ non plantanimales, non vivunt animâ sensitivâ.

v. Probatur 1^o, ex Aristotele lib. 3. cap. 13. ubi docet *plantas omnium sensuum expertes esse*. Augustino lib. de qualitate animæ cap. 33. ubi oppositam opinionem vocat *rusticam heresim*.

vi. Probatur 2^o, quia animalia omnia, quantum experimur, non habent ita obtusos & dormientes sensus, quin aliquando evigilent, & tacti sese contrahant; sed plantæ ad nullam percussionem se contrahunt, aut movent: Ergo non est ratio fingendi tales sensus in plantis.

vii. Dixi, non plantanimales; quia sunt aliquæ plantæ de quibus Ionstonus, Scaliger, & alii mirantur; ut quòd detur herba, quæ ad tres pedes

G g crescens